



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI

hæc est in omni terra, & super omnes cælos, Tanto excellentior angelis factus est, Hebræos 1. Regnum enim habet æternum & sacerdotium, &c. Porro certum est ueterem interpretem aliter legisse in Græco, sicut & Ambrosius legit & sic reddit, quod manifestatum, &c. Et omnia quæ sequuntur, ad mysterium referuntur: sed in eandem sententiam recidunt.

CAPVT IIII.

Hunc locum explicauimus in epistola secunda ad Thess. cap. 2. Quæ uero sint nouissima tempora, ut uetus translatio habet, dixi Esaiæ 2.

Creauit ad sumendum.

Gen. 1. & 9. Creauit ad sumendum cum gratiarum actione, ut ex beneficio agnoscant patrem. Sanctus est qui comedit carnes, & gratias agit. Indignus est omni creatura, qui abstinet à carnibus, & non agnoscit creatorē. Lege 1. Corin. 10. Quare libertas mea iudicatur, &c. Lege quoq; ad Rho. 14. Voluit & tali beneficio à gentibus agnosci, sed tenebræ erant in mundo, sicut Paulus dicit Act. 14. Qui in primis generationibus, &c. Sed quare dicit. fidelibus, quibus & infideles edant, bibant, utantur creaturis? Dico, quod fidelibus deus dedit suas creaturas, ut uides Gen. 1. id est ante lapsum Adæ: post lapsum uero, infideles in omni peccant creatura. ad Titum 1. Omnia munda munda

dis, infidelibus nihil est mundum, &c. Hinc fit ut fide-
lis edendo carnes, quacunq; etiam die glorificet de-
um. Hypocrita autē & iustitarius abstinendo etiam
peccat. Primum, quia damnat creaturam dei bonam,
deinde gratias quidem simulare potest, agere nō pōt,
quia abiicit dei beneficiū. Et præterea cōfidit in suam
abstinentiam in contumeliam dei, cui soli fidēdum est
&c. Domini creati eramus omnium creaturarum, ue-
rum hoc dominiū perdidimus in Adam, sed in Christo
redditum est credētibus. Hinc est ille psal. Domini est
terra, &c. Omnia subiecisti, &c. Ergo sine peccato
utilis est omnis creatura dei, modō ne cōtra præceptū
dei. Nā traditiones humanas nihil moror, quia omnis
creatura in Christo tua est: & ita quoq; Paulus 1. ad
Corin. 10. citat ex psal. testimoniū. At dicunt iustiti-
arij illi ciborum, & nos credimus. Respondet Paulus:
mentimini. Ego fideles interpretor illos, qui cognoue-
rūt hanc ueritatē, quā uos ignoratis, nempe, qd' quic-
quid creauit deus, bonum sit, & nihil reijciendum, si
cum gratiarum actione comedatur.

Sanctificatur.

Quid est quod creatura dei per se bona est, & tamē
hic dicit, sanctificatur? Respondeo bona est, quia cre-
atura est: immunda autem est ei, qui ea abutitur, aut
qui eam immundam ad usum credit. Sanctificatur igitur
ex usu utentis ea, sicut 1. Corin. 7. dicitur. Sancti-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

ficatus est uir, &c. Vbi sanctificatio ad usum matrimonij pertinet, quod mulieri fideli licet uti matrimonio infidelis uiri, & cōtrā absq; peccato, & nō minus sine peccato quā si uterq; esset fidelis. Hic non fit in se sanctus infidelis, sed ad usum matrimonij fit sanctus, ut fidelis coniunx utatur infideli, ut re in se bona, & ad hoc à deo creata. Sic & cibus in se bonus, non fit sanctior, sed ad usum sanctificatur, ut sine peccato utaris, quæ infideli & gratias non agenti non esset sancta, id est, munda. Sanctificatur, inquit, per uerbum dei, quo credimus omnia esse nobis sancta, ut supra: & per orationem, qua talia oramus nobis dari, & pro datis gratias agimus, sicut supra dixit. Iam uides stultitiam iustitiariorum, qui in cibus & alijs creaturis quærent sanctitatē, quā ipsæ creaturæ, licet bonæ sint creatione, tamē sanctæ nobis, id est mūdæ esse nō possunt sine nostra fide & gratiarum actione. Quæ de usu ciborum diximus, omnia etiam intellige de usu matrimonij: id quod non obscure ex præcedētibus intelligis. Creatura enim dei bona est mulier, si utaris sicut deus instituit. Si contra dei institutionem, ut fit in fornicatione & adulterio, iam bona tibi nō est, quam deus bonam fecit. Iam & in eadem damnatione es, si in matrimonio putas usu creaturæ (modò secundum deum fiat) peccari. Damnas enim nō solū creaturam, sed & dei institutionem, &c.

Bonus eris minister.

Iam doctrinae demoniorum dicunt, Hæreticus es.

Pietas ad omnia utilis, &c.

Pietas in scriptura (unde pij dicuntur) est honor dei. Honoras autem deum si credis ei, fides ei, times eum laudas, diligis, sciens omnia tua esse: in solo autem deo tuam esse salutem, & nullam rem, nullam prorsus iustitiam humanam te posse liberare à peccatis, aut saluare, sed solam dei gratiam per Christum Iesum dominum nostrum. Cōtrā impietas est, ubi hæc non adsunt, ut maxime omnia deceptis sensibus, & concupiscentiæ oculorum sanctissima uideantur. Igitur exerceas te ad pietatem, non quod tuo studio tibi talia parare nitaris, id quod fieri non potest: nam hæc habuit iam Timotheus. Sed quando continuo desiderio hæc à deo postulas, sciens beatos esse qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ut tuam contineant, uel sedulo sequi te uocationem. Et hæc pietas ad omnia utilis est: tua enim salus est & aliorum, & certa salus est, certa autem per uerbum dei. Nam promissiones habet presentis uitæ & future, utraq; saluât, modo eis credas. Nam si uerbo dei credis, hinc iustificaris. Pij ut olim multa promittebantur terrena bona, ut est in lege Moysi, ita & nobis dicitur: Hæc omnia adijciuntur uobis. Nam de promissionibus uitæ future quid

in libro
de uerbo dei

ubi r/s
sequi uerbum
uocationem

promissio de
eternis

ANNOT. IOANNIS POMERANI

attinet admonere? Corporalis autem exercitatio tales promissiones non habet, aliquid tamē utilitatis habet, scilicet dum non pro pietate eam habes, sed pro pietatis ministra: dum exerces corpus uigilijs, ieiunijs, abstinētia, laboribus, ne insolecat contra spiritum, & pietatē impediatur: sed potius seruiat, sicut Christus admonet. Attendite uobis ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate. Exercitatio enim est corporis, quam exercere potes & intermittere pro tuo arbitratu, prout corpori tuo necessarium fuerit. Quod si corporali exercitacione, & quicquid externo opere fieri potest, te iustificari credas, iam corporalis exercitatio non solum nihil habet utilitatis, sed etiam impia est, & te damnat: quia quod dei est tuis adscribis operibus, & adoras opus manuum tuarum, &c. Iacent igitur hic omnia iustitiariorum opera, & que preterea in fide salutis fieri non possunt, quia promissiones dei non habent. Longe ergo à salute omnium sectarum ordines. Atq; hic addit Paulus obstruēs contradicentium ora. Indubitatus sermo &c. Hodie omnes ferè de hoc dubitant, multi etiam blasphemant hanc ueritatem. Paulus indubitatum uult, & quod omnibus modis adprobetur: ut uero uniuersus mundus contemnet talia, ut maxime inter se omnes conspirent contra nos, mundi sapientes & sanctuli illi, attamen ab hac ueritate nos diuelli non seruiamus.

illi in corporali exercitatione & ceremonijs sperant
& mortuis rebus, quæ nihil prodesse possunt, confi-
dunt. Nos talia docemus esse impietatem, & spem fi-
xam habemus in deo uiuente, propterea nõ potest nos
non odisse mundus. Hæc confirmet corda eorum, qui
nuper didicerunt pietatem solam esse, quam respiciat
deus, quibus hic locus maxime commendatur.

Enutritus in sermone.

Duo dicit, oportet enim illum accepisse sermonem
fidei, qui uult bene docere.

Prophanas & aniles.

Prophanum dici, quod sacrum non est, etiam puer
nouit. Quicquid ergo ex sacris literis non est, propha-
num & anile est & fabula: licet hypocrisis & mun-
dus hoc ipsum pro magna habeant sapientia, Christia-
nus homo hoc imo reponet pectori: quod si cõtempse-
rit, Christianus non est, &c.

ipm //

Qui est saluator omnium, &c.

Certum est hoc dicere Paulum de saluatione tempo-
rali: alioqui non addidisset, maxime fidelium, quos sci-
licet longe dignius saluat, quemadmodum & in psal-
ma: Homines & iumenta saluabis domine. Discant,
igitur gentes, discant hypocritæ, non esse fidendum
in creaturis & operibus suis, unde miserè torquen-
tur & pereunt, tãtum abest ut salutem consequantur:

ANNOT. IOANNIS POMERANI

confidant autem in eo solo, unde etiam accipiunt corporis beneficia. Id quod negare non possunt.

Præcipe.

Si audis hic Paulum, eris hæreticus hodie.

Nemo tuam iuuentutem!

Id est, sic uiue & exequere negotium tibi commissum, ut despici non possis: id quod protinus exponit, dicens: Sed esto forma fidelium, &c.

In spiritu.

Id est, seruore spiritus, ut ad omnia sis strenuus & bonus miles Christi in fide, charitate, &c.

Donec uenero, &c.

Vult non esse neglectorem officij pastoralis, quod hic donum uocat. ad quod donum duo requiruntur, prophetia & uocatio. Sine his duobus nemo præsumat esse pastor uel episcopus. Prophetia est donum, ut possis potenter docere quæ fidei sunt: quam si habueris, expecta donec uoceris, uel à deo, uel ab hominibus, sicut omnes prophetae & apostoli uocati sunt. Vocatio tēpore apostolorū fiebat per impositionem manuum super caput uocati, quo ceu signo agnoscebatur ille uocatus & susceptus. Sic non apostoli (ut non sibi hoc arrogant nostri apostoli) sed discipuli alij ab apostolis cōgregati eligunt septē diaconos, & orātes imponunt

imponunt eis manus in conspectu apostolorum: hoc signo ostendentes apostolis, & reliquæ multitudini, quod tales uolebāt, & elegerūt ministros. & Paulus imposuerat manus Timotheo docto sacris literis à puero, & erudito in fide, sicut dicit epistola secunda cap. I. Sed nõ solus imposuerat, ut hic uides. Nã quod hic translatum est, autoritate sacerdotij, non est in Græco: sed μετὰ ἐπιθεσίωσ, &c. id est, cum impositione manuū presbyteri: quasi dicas latine, senatus, id est seniorum. Vides consensu aliorum Timotheū electum: ita & intellige quod infra dicitur, manus citò nemini imponas. Et quod Tito scribitur, ut constituas per ciuitates presbyteros, &c. Impositio manuū fuit Hebræis familiaris, ubi aliquid commendabatur deo. Sic Iacob imponit manus duobus filijs Ioseph, Genes. 48. Sic manus super caput hostiæ immolādæ ponitur, Levitici 1. Sic Christus imponit manus super paruulos: & de credentibus dicit, Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Hoc quia externum signum est, uel omitti potest, uel aliter fieri: quia institutum non est, aut mādatum. Electionis tantum signum erat. Quæ instituta sunt, ut quod oportet episcopum esse sine crimine, aptum ad docendum, &c. Hodie & negligimus, & contemnimus, et uana signa magnificimus: uana dico, ubi res non adest. Et insuper signis externis omnia complemus, & fingimus talia, quæ Christus &

ANNOT. IOANNIS POMERANI
apostoli Christi non nouerunt.

Hæc exerce.

Ut supra, admonet eū sui officij. Hæc exerce, id est
in his persiste.

CAPVT V.

Seniorem ne increpaueris, &c.

Hæc non est adulatio. Nam post dicitur in hoc
ipso cap. Peccantes coram omnibus, argue, ut
& ceteri timorem habeant. Sed potius est Christiana
modestia cum omnibus, tã maxime Christiano docto-
ri necessaria, ut & uerba quoq; nostra spirent amo-
rem. Verum hic additur, cū omni castitate, ut blanda
foeminarū appellatio non solū apud nos pura, sed etiã
apud ipsas & apud alias sine suspitione sit. Oportet
enim nos prouidere bona, non tantum coram deo, sed
etiam corã hominibus, ad Rhom. 12.

Viduas honora.

Locus hic est de uiduis, quas omni auxilio destitu-
tas, suscipiebat ecclesia alendas, quibus prouidebant
Diaconi ex bonis ab ecclesia in pauperes collatis. Hæc
non propter uotum, quod scriptura non nouit uspiam
suscipiebantur, sed propter paupertatem. Et hæc uo-
cat uere uiduas, quæ non solum marito, sed etiam filijs
aut amicis, qui eam alere possent, aut bonis destituta

non